



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeio, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

Aequitas animi ac constantia eiusde[m]. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

ribus noceret, quàm prodesset ingenijs. ex quo facilè existimari potest, in ceteris rebus quàm acer ac vigilās custos pudicitiae fuerit.

Aequitas animi ac constantia eiusdem.

CAPVT IX.

ADuersus ea, quæ videntur acerba, & contra omnes varietates, quæ invita versantur, animo fuit semper ita præsentis, vt numquam vel à statu naturæ, vel à religiosi dignitate discederet. Romæ cū apud nobiles quosdam, vt solebat, de rebus diuinis familiariter ageret, instituto iam sermone, trepidus ab domo nuntius ei repente in aurem insusurrat, lictores in domesticam suppellectilem à creditoribus immisos, cuncta miscere & euertere: vix ab eis impetratum sustinerent tantisper, dum ipse tota de re certior fieret. His auditis Ignatius: Bene habet, inquit: & inchoatam disputationem admirabili tranquillitate animi absoluit. Quærentibus dein amicis, quid subitæ rei accidisset: Noster, inquit, ceco-

no-

nomus ad necessariam ædificationem
are alieno contracto, in præsentia sol-
uendo non est. impatientes moræ cre-
ditores, ad auferenda pignora ministe-
rium forense miserunt. ij perturbare
dicuntur omnia: sed me res nõ mouet.
nam strata si abstulerint, humi pro no-
stra paupertate cubabimus. vnum verè
or, ne inter tumultum, commētarij de
religione pereant, magna cura & labo-
re confecti. hos ego sane velim saluos:
cætera negligo. Tum ij qui aderant, Pa-
tris patientiam admirati, facinus indi-
gnum exclamant; domum nostrã ad-
uolant; prædesq; pro Ignatio facti, sa-
tellitũ proteruitatẽ magno cõuicio co-
hibent. neq; ea res cuiquã amicorum
fraudi fuit: si quidẽ aureis ducentis ab
Hispano doctore, cuius modo memi-
nimus, Hieronymo Arzio, & quidem
quid accidisset ignaro, postera die sub-
missis, nullo ipsorum incommodo æs
alienum est persolutũ. Suscepta nego-
tia in finem vsque perseueranter vrge-
bat; neque vero, quos sibi socios expe-
ditionũ assumpserat, torpere patieba-
tur. Vbi necessariũ iter, velq; aliud gra-

V 2 uioris

uioris momēti destinasset in diem certam, præsertim si postularet occasio, nulla vi tempestatis, aut alia quavis difficultate deterrebat, quominus ad constitutum tempus cogitata perficeret. In adeundis principibus quod ille necessario & sæpe faciebat, cunctas aulæ molestias, & indignitatem & aulicorum contumaciam deliciasque vorabat alacritate mirabili. aditque aliquando, ut aditu excludit commodam admissionem horas quattuordecim ieiunus obsederit. quid, re bene perspecta, consiliariis iam adhibitis, decreuisset; haud ita facile se ab eo deduci patiebatur. Ad ecclesiasticam disciplinam pro sua adiuvandam, statuerat ne quis ex Ordinibus transfuga, quamuis eruditione, aut eloquentia, aut alia qualibet laude clarus, in Societatem admitteretur. Obtulere se multi; nec gratiam quemquam reciperet. quinetiam quis per nostrorum imprudentiam repererat, qui vel diem vnum in alienis castris fuisset, contra nitentibus

iem cer
Occasio
rauis dif
inus ad
perficie
s viris
faciebat
gnitate
delicia
i. acc
xclusio
ras ip
erit. S
arij se
d ita
Ad Ho
ia part
ex al
erud
ualibet
dmite
c prece
est, v
etiam
tiam in
alieno
s inter
dum

um aduenæ propinquis; amicisq̄ue
ratiofis, remittebat ad pristina signa,
el si minus pareret, certè è Societate
ellebat: ne cæteri nimirum Ordines
nobis conqueri possent; aut Socie
as quasi quoddam perfugium deserto
ibus esse putaretur. Neque minorem
nimi fortitudinem præstitit in ijs tu
ndis, quos, probato ipsorum spiritu
t vocatione, in Societatem adscripsif
et. quorum constantia cum à parenti
as (vt fit) per amplissimos etiam vi
nos acerrime interdū oppugnaretur; I
arij se
gnatius, vbi opus fuit, coram summo
pso Pontifice, suorum causam contra
pes & gratiam, diuino fretus auxilio,
ine vlla dubitatione metiue, non so
am defendit, sed etiam obtinuit. Ita
ue principes etiam viros Iulius III.
ontifex Maximus festiuè admone
at, ne cum Ignatio contenderet; vti
ue ni vellent è certamine victi disce
ere. Cum lege cauisset, ne quis è no
tis vel exsequiarum, vel sacrificij, vel
uiuspiam omnino ministerij nomine
ecuniam aut eleemosynam vllam ac
peret, nedum cogeret; eam ipse legē
dili-

diligenter sancteq; in omni vita serua-
uit; neque commisit vnquam, vt fide
suam, in rebus praesertim sacris, teme-
re obligaret; vel (quod vitandum est
maxime) specie pietatis quaestum face-
re videretur. quo in genere illud infi-
gne memorant. Grauius agrotabat a-
tate iam deuexa, idem Hieronymus
Arzius. ad hunc, visendi causa (fuit e-
nim in colendis amicitijs diligentissi-
mus) cum venisset Ignatius, homine-
que benigno & spirituali alloquio re-
creare conatus esset; ille de futura vita
solicitus, aureos ducentos ad piacula-
ria sacra pro se facienda sudario inuo-
lutos institit Ignatio obtrudere. quos
cum obfirmato animo reiecit Pet-
ter, quod diceret se alieno periculo do-
ctum, ab huiusmodi conuentis iam-
pridem abstinere, neque plus oneri
velle suscipere, quam quantum praesta-
re cum fide posset; admiratus ille san-
ctimoniam & integritatem viri, eam
ipsam summam paulo post ad eundem
sine vlla conditione transmisit. Tum
Ignatius sponte complures hostias ad
expianda amici peccata decreuit; neq;
in

in officij & caritatis certamine vinci se ab laico passus est. Pacem & concordiam (quoad officium & Dei gloria pateretur) non modo cum suis, verum etiam cum alienis omni cura studioq; retinuit semper; & cavit, ne, aut per se, aut per suos facto dictove quęquam offenderet. Cũ Martinus Olavius, qui Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti vir ingenio doctrinaq; theses aliquot de more proposuisset, in quibus erat caput de Immaculato, vt appellant, Conceptu beatę Virginis; licet ea de re Ignatius pro sua egregia in Deum & Virginem pietate minime dubitaret, tamen ne Fratres Dominicani, qui ad disputationem inuitabantur, id agrę ferrent, seque nominatim prouocari putarent, (contrariam enim sententiam auctore D. Thoma tuentur eorum plerique) eam thesem, quamquã ingemiscente Olauio, induci tolliq; omnino imperavit. Anno Christi nati M. D. LIII. cum Societas in Hispania, Deo adiuuante, maiorem in modũ cresceret; grauia in no-

stros crimina repente conficta ab ini-
quis, & Exercitiorum spiritualiū præ-
cipue liber in suspiciōē apud sacros
Inquisitores magno apparatu artifici-
oꝛque vocatus est. quo nūtio Romam
allato, multi auctores ignatio fuere, vt
se suosq; omni ope tueretur, accusato-
rum calumnias & improbitatem in tā
to præsertim suæ existimationis ac fa-
mæ periculo redargueret. At ille con-
scientiæ testimonio ac Dei bonitate
subnixus, nihil extimuit, remꝛque totā
sine vllō tumultu magistratibus co-
gnoscendam reliquit. quorum opera,
& veritas breui patuit omnibus, & ex
eo tempore Societas in ijsdem provin-
cijs feliciores in dies habuit progres-
sus. Nec minor anno insequente in no-
stros, qui in Gallia versabantur, procel-
la defauijt. Siquidem graui ab aliquot
illustribus Theologiæ doctoribus, de-
creto proposito, vsque adeo lacerata
ac tantam in inuidiam adducta Socie-
tas est, vt eam non modo profanum
vulgus, verumetiam concionatores i-
psi quotidianis probris & conuicijs è
superiore loco proscinderēt. Ei decre-

to criminibusq; scripto refutandis cū
 se aliquot è nostris Ignatio paratos of-
 ferrent, ac res indigna, minimeq; to-
 leranda cunctis videretur esse, verbis
 ex Euangelio desumptis Ignatius: Pa-
 cem, inquit, do vobis, pacem meam re-
 linquo vobis: neq; certamen cum ad-
 uersarijs vlllo pacto suscipi est passus,
 quòd diceret, proculdubiò fore, vt ip-
 sa dies & nostrorum innocentiam sa-
 tis probaret, & inimicorum cogitatio-
 nes & consilia frangeret. Id quod non
 ita multò pòst, Dei beneficio est factū:
 nam & accusatio tota breui consenuit
 & ipsis criminationibus illustrata So-
 cietas radices in ijs regionibus egit alti-
 ores. Admirabilem verò facilitatem,
 vel potius animi altitudinem Romæ
 ostendit Pater in acerbissimis vicini
 cuiusdam iniurijs perferendis. namq;
 is, vt nostros in proximam sibi domū,
 quæ Petri Codatij fuerat, immigrasse
 cognouit. cum Ignatium sociosq;, vt
 alij multi, sine causa pessime odisset: v-
 na re valde lætatus est, quòd vendendi
 suas ædes, quippe nostris valdè oppor-
 tunas, & conficiendæ pecuniæ præcla-

ram sibi occasionem oblatam putaret. Ergo, ut peregrinum ad conditiones quamlibet iniquas cogeret, varijs artibus patientiam hominis exercere constituit. ac primum in atrij cuiusdam interiacētis, quod finibus nostris contineri constabat, possessionem impudenter inuasit: neq; tamen Ignatius eam rem iudicio persecutus est. In id atrium deinde pauoues, & alia demisit altilia, quæ obuersis in eam partem cubiculis nostris molestissimo clangore diu noctuq; obstreperēt: nequaquam exoptulauit Ignatius. eidem, triclinij parietes in eam partem luminis causa perforare volenti, per summam contumeliam restitit ille: nihilominus quicuit Pater, atq; ob id ipsum cæco aliquot annos triclinio est vsus. Cum hæc maximè ageret vicinus, vltro Ignatium ac socios tota Vrbe institit criminari, bipedumq; nequissimos & cupidissimos dicere, qui in alieno solo, non contenti malè parta ingenti pecunia, domibusq; per falsam religionem occupatis, possessiones in dies continuare, seq; ipsum patrijs ædibus pœnè
per

per vim exturbare contenderent. Quæ res cum delatæ ad Ignatium essent, nõ modo sedato animo tulit, vt cætera, sed etiam ex eo die Dominum deprecari pro aduersario cœpit ardentius. Denique cum ille diuturna importunitate nostros ad quamlibet iniquum pretium perduxisset, & piorum subsidijs domus tandem esset coempta, ita ex ea migravit, vt, quasi mox æquanda solo esset, sic omnia inde ferramenta, fores, fenestrarum obices, atque adeo elaborati lapidis quidquid potuit secum asportauerit. neque tamen grauius ea de re questus Ignatius est. neque tali homini, aut vlli omninò mortaliũ vllõ vnquam nomine litem intendit. Neque verò ab hominibus tantum, sed etiam ab ipsis pœnè temporibus, inuictum animum præstitit. siquidem nulla vnquam vel domestica inopia, vel publica annonæ caritate adduci potuit, vt contra Christi consilium de crastino sollicitus esset; aut, qui nomen Societati profiterentur, modo ad institutum idonei forent, eos, quanquam ingēti pressus familia, repu-
dia-

diaret. Atq; id eo magis homines mirabantur, quod eo ipso tempore viri locupletes ac principes, inopiæ metu, multos è domesticis conuictoribus non sine rubore dimitterent. Itaq; cū ex Ignatio quidam è familiaribus pro amicitia sciscitaretur, quid ita alij diuites & pecuniosi, in tantis annonæ difficultatibus familiam sumptusq; minuerent, contrà ipse nullis vectigalibus, nullo certo reditu fultus, eandem auget? Non satis attendis, inquit ille, quæ sit vis ac natura virtutis illius, quam in Theologicis virtutibus secundam Apostolus numerat, cui, certis & exploratis in rebus locus esse qui potest? Spes enim, vt idem ait, quæ videtur, non est spes. nam quod quis videt, quid sperat? Neque verò timendum esse, ne qui aues cœli pascit, & agri lilia splendidissimo vestit ornatu, quæ neque ferunt, neq; nent, neq; in horrea congregant, idem suis operarijs in Ecclesiæ vinea nullo stipendio laborantibus, necessaria ad exigendam vitam alimenta deesse patiatur. Quod ille videlicet cum iam inde ab ipsa conuersio-

sio.

sione multis documentis præclare didicisset, tum vero post suscepta Societatis gubernacula, magis magisq; experiebatur in dies, quo in genere, ne sim longior, nonnulla subnectam. Cum in sumptus quotidianos aliquando esset opus præsentis pecunia, atq; ad nescio quid coemendum Ioannes Crucius rei domesticæ curator exisset, incerta etiam tum luce quidam ei repente sacculum auro plenum obtulit, ac nihil effatus illico sese è cōspectu proripuit. Ioannes verò, qua erat simplicitate, vt auri speciem vidit, illusionem ac præstigias diaboli suspicatus, in proximam ædem B. Mariæ supra Mineruã sese recipiens, diuinam opem suppliciter implorauit, domum deindè regressus, pecuniam inspectam, & forma & materia probam reperit: Deiq; clemētiam ac benignitatem admirans, in ea quæ destinauerat, sine cuiusquam damno vel molestia in sumpsit. Idem, cum in magnis rei familiaris angustijs Deo superisq; in Laterano supplicasset, in reditu ad Colosseum theatrum illi subitò vir quidam ignotus aureos

cen-

centum in manum dedit, ac statim apparere desijt. Qua re Ioannes non tam latitia, quàm horrore perfusus, pecuniam domũ attulit. Ignatius vero gratias quidem egit Domino, sed talibus iampridem assuetus, nihil rei nouitate commotus est. Rursus nostris pecunię inopia laborantibus, quidam è Patribus dum nescio quid exquirat in arcu-
lato tamento scrutisq; vilissimis plena, nihil minus opinanti venit in manus chartaceum inuolucrum aureis refer-
tum ita nitidis atq; micantibus, ac si tũ primum ex officina prodiret: quo tam insperato subsidio præsenti egestati peropportunè subuentum est. Quodã die sub vesperam, cum domi panes, vi-
num, ligna penitus defecissent, postri-
diè mane, præter omnium expectatio-
nem, à nobili matrona vches lignis o-
nusta submittitur. ea ligna dum in cel-
la vinaria, vt fit, cõdit ianitor, ianuam
domus in Capitolium eo tempore ob-
uersam, patentem reliquit imprudēs:
recordatus deinde, cum ad occluden-
dum accurrisset, repentè modios ali-
quot frumenti, & vini cados in ipso ve-
sti-

stibulo reperit : neq; adhibita quanta-
uis diligentia, vnquam rescire potuit,
quis ea dona misisset. Hæc igitur & alia
eiusmodi subinde accidebāt, q̄ politico
supercilio rem æstimanti friuola cui-
piam fortasse videantur, sed certè &
paternam in famulos, Dei providenti-
am satis declarant, & Igratij securitatē
atq; fiduciam ab omni stultitiæ vel te-
meritatis infamia vindicant.

Eiusdem ratio gubernandi.

Cap. X.

IN consilio capiendo, & rebus geren-
dis, cum Deum semper, vt dictū est,
accurata supplicatione cōsuleret, tum
vero (quod mirū fortasse cuipiā videat-
tur) nō pietatis gustū, sed rationis du-
ctū præcipuè sequebatur: vtnō rationē
spiritus dulcedo præiret, sed dulcedinē
ratio. Hoc. n. aiebat vno maximè bellu-
is homines antecellere, qđ hi ratione
vtantur, illæ nequaquā. Idem ad exse-
quenda consilia, quoad fas esset, oēs ar-
tes & humana præsidia sic adhibebat,
quasi omnē spem in ijs repositam ha-
beret,